



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Seueriano Gabalensi & Antiocho Ptolemaidis & quæ inter Seuerianum
ac Serapionem acta fuerint, & quo modo per Imperatricem res inter eos
composita fuerit. Capvt X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

habentque necessaria, sollicitè procurabat: At si quando foras egrederentur, ac per urbem conspicerentur, tum eos, quasi philosophiam suam dedecore afficerent, conuiuiis profcindebat, & ad sua repellebat: Ex huiusmodi igitur causis tum clerici tum monachi multi ab eo sunt abalienati, ac morosum & iracundum & sæuum & arrogantem appellarunt: Quin & vitam eius apud populum traducere ceperunt, coque argumento se vera dicere illi persuadere, quòd is neque ad mensam suam quehquam vocaret, neque ad conuiuium vocatus quoquam iret: Cuius quidem facti ego causam aliam reddere non possum, quàm eam, quam sciscitanti mihi vir quidam minimè (vt opinor) mendax expediuit: videlicet, quòd ob assiduam studiū xē capite & ventriculi orificio plerūq; laboraret, ac proinde ab huiusmodi couiuiorū societatibus abhorreret. Sed istū interim hinc maximas aduersus ipsum calūnias struebant.

De Seueriano Gabalensi & Antiocho Ptolemaidis & quæ inter Seuerianum ac Serapionem acta fuerint, & quo modo per Imperatricem res inter eos composita fuerit. CAPVT X.

Svorta autem illi quædam odij causa fuit, etiam apud Sconiugem Imperatoris ob Seuerianum Gabalorum Syriæ Episcopū. Etenim & hic ipse & Antiochus Episcopus Ptolemaidis (ea ciuitas est Phœnicix) eadem memoria clari, & ad docendum in ecclesia idonei extiterunt: Sed hic expedite & perquam clarè dicebat, hic vt à nonnullis Chrysofomos, hoc est, aurei oris homo nominaretur. Seuerianus verò tamen sententiis & scripturarum testimoniis præstātor habitus, asperitatē tamē Syrorū lingua representabat: Antiochus igitur cum prior Cōstantinopolim venisset, dicēdo laudē cōsecutus est, ac pecuniis collectis ad ciuitatē suam rediit: Ad huius imitationē & Seuerianus postea veniens, & beneuolū fortē Iohannē natus cū frequēter in ecclesia cōcionaretur, in admiratione & honore erat, & authoritate pollebat, ipsiq; Imperatori
arq;e

SOZOMENI HISTOR.

atq; Imperatrici innotuit: Itaq; cū Iohannes in Asiā proficisceretur, ecclesiam illi cōmendauit: Illum enim qui pal-
pum sibi obtrusisset, amicum syncerum esse arbitrabatur.
Ille igitur Impensus auditoribus gratificari, & populū
verbis demulcere studebat, quo cognito Iohannes, sus-
pectum habuit, Serapione vt aiunt eum huc instigāte. Post-
quā enim ex Asia reuersus esset, forte fortuna prateribat
alicubi Seuerianus, cui tamen quāuis conspecto Serapion
non assurrexit, data id declarans ijs qui præsentes aderant,
se hominem contemnere: Ille verò ob eam rem indigna-
tus exclamauit, Si Serapiō Christianus moritur, Christus
non est factus homo: ob hoc dictū à Serapione accusatus
per Iohannem vrbe quasi cōtumeliosus & in Deū blasphemus
eijcitur. Nam testes in hanc rem subornati erant qui
quidem cum Serapionis amici essent, integrum dictum re-
ticentes, id solum dixisse illum testati sunt, quod Christus
homo factus non esset: Imperatoris verò coniunx simul
atque hæc facta essent, ex fautoribus Seueriani rescuiuit, ac
statim ipsum ex Chalcedone reuocauit: Iohannes autem
quamuis multis obsecrantibus illius consuetudinem auer-
satus est, donec Imperatrix in templo Apostolorum ipsius
genibus imposito Theodosio filio, obsecrando ac sapius
obtestando vix tandem amicitiam inter illum ac Seue-
rianum refarciuit: Atque hæc quidem ita comperi.

*De questione in Aegypto mota, an Deus huma-
na forma præditus sit, ac de Theophilo Alex-
andrino Episcopo, & de libris Origenis.*

CAPVT XI.

INterea temporis haud multo antea exorsa quæstio per
Aegyptū mouebat, oporteatne Deū ἀνθρώπων μορφῆ
hoc est humana forma præditū credere? Huius autem
sententiæ plurimi erant ex monachis istic cōmorantibus,
qui præ simplicitate sine examine scripturam sacram accl-
piebant, & in ea Dei oculos & faciem & manus, & quæ-
cunque alia huiusmodi audire cōsueuerant: Illi verò qui
reconditū in verbis sensum considerabant, diuersum sen-
tiebant